



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1658

§. 2. Trans torrentem Cedron. v. 1.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45556

magis sensualitati repugnat. Ita enim Christus ante oculos suos fecit. Cenaculam sanctum deseruit, horum faciatorem adiit.

§. 2. *Trans torrentem Cedron. v. 1.*

Torrentis, cuius mentio hic fit, in valle Iosaphat inter Hierusalem & montem Oliveti decurrebat, & illi propinqua erat villa Gecsemani ad radicem montis Olivarum. Quid autem est torrentis, aquarum abundantia maximo impetu currentium. Quid autem aqua in sacris literis? dum agitur de tristi materia, solent indicare dolores animi & corporis angustias. Testis est Psalmus Davidis: *salvum me fecit Deus, quoniam intraverunt aquae, scilicet tribulationes, usque ad animam meam.* Cum autem dolor Passionis quem Christus pro nobis passus est, fuerit omnium vehementissimus, aptissime est per torrentem adumbratus, & adhuc magis per nomen ipsum torrentis; Cedron quippe nigredinem & melancholiam & tristitiam significat. Quem sane D. N. dum pariebatur non solum adiit sed & pertransiit. Neque verò Sacramento caret, quod Christus ad montem Oliveti pergens torrentem pertransiit: subindicabat enim, quod priusquam caelos ascenderet, erat amarum mortem subiurus, & quemadmodum a monte Oliveti dulcis Olivæ liquor effluit curandis vulneribus maxime opportunus: similiter à Passione Christi in monte Oliveti inchoata emanaret dulcor divinæ commiserationis medendis peccatorum morbis necessarius & apprimè opportunus. Nam vallis illa Cedron quæ etiam vallis Iosaphat & *vallis montium* vocatur, inter ipsam montem Oliveti ac Hierusalem, in montibus sanctis collocata, ob arborum frequentia, ac situs profunditate umbrosa erat ac velut obscura; distabat autem ab urbe stadiis sex ut videre est apud Ioseph. 6. belli Iud. c. 3. & eam secabat fluviolus, fere semper arens, qui pluvialibus aquis auctus, undique de montibus, fontibus, piscinisque affluentibus, dulci quodam murmure per mediam vallem Iosaphat, atque gehennon & per plana deserti in mare mortuum defluens absorbebatur. Passionis Christi mysterijs convenientissimum sane adjunctum.

Domine Deus video quod non solum tribulationes ingentes suscipias in te sed etiam imagines ipsas miseriarum adhibeas super cruces tuas, & nomina horrorem habentia, ideo dico te iustissime à Deo Pariter exaltatum ut & multos salvos faceres & in omnibus clarificeris, qui temere ipsum humiliando adeo humilitate summa denigrasti. Dignus es accipere divinitatem & gloriam & honorem & amorem omnem in caelo & in terra.